Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ex multis uirtutibus compositum · tuo corpori ecclesie infun
dendum / ut suaue uinum ex multis speciebus conditum · Et mustum MUSTUM DIUINI SERUICIUM
malogranatorum meorum subaudis dabo tibi · id est diuinum seruicium
ex imitatoribus martyrum inpendam tibi · Malogranata sunt eadem MALOGRANATA PENITENTES.
que et mala punica que sunt rubra · et granis plena / quorum sucus
habet saporem musti · Significat autem pacientes · martyrum
imitatores / bonis actibus ut granis plenos · et doctrina ut
mustum suaues · Per uinum quoque doctores ueteris legis · per mustum in
telligunt doctores noue legis / quorum laborem offeram tibi ad ho
norem · Rex itaque uino et musto accepto a sponsa · amplexatus
est eam / unde gratulabunda canit · Leua eius sub capite meo /
et dextera illius amplexabitur me · Quasi dicat · Diuicias et
gloriam mundi eius amori postpono / et sola eterne beatitudi
nis premia a Deo repromissa diligo · Caput quippe ecclesie est Christus · cuius
leua est presentis uite gloria / dextera uero illius eterna beatitudo ·
ut scribitur · Longitudo dierum in dextera eius / in sinistra illius
diuicie et gloria · Leua ergo sponsi sub capite sponse est · quando
amore Christi diuicias mundi postponit / et dextera illius amplexa
bitur eam quando chorus sanctorum in eterna beatitudine constitutus propter
hoc eam diligit · Hic uersus supra primitiue ecclesie asscribitur / hic
rursus in conuersione synagoge repetitur / quia eadem perfectio
fidei et operationis in ista que in illa inuenitur · Sub am
plexu sponsi sponsa quasi amore et dolore fatigata obdor
mit / et ne quis eam ab hac quiete inquietet interdicit dicens ·